

SCRIPTA

Numéro Scripta : 239

Auteur(s) : Guillaume Ier de Bellême [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (collégiale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : faux

Datation : [1020-1100]

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe Ier, à la prière de Robert de Bellême, confirme par l'apposition de son sceau une notice relatant la fondation de l'église Saint-Léonard de Bellême par Guillaume de Bellême au temps du roi Robert.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, n° CLXXVI, p. 428-431.

Indications

Lemarignier Jean-François, *Étude sur les privilèges d'exemption et de juridiction ecclésiastique des abbayes normandes depuis les origines jusqu'en 1140*, Paris, Picard (Archives de la France monastique ; 44), 1937, p. 181-192. Louise Gérard, *La seigneurie de Bellême Xe-XIIe siècle*, dévolution des pouvoirs territoriaux et construction d'une seigneurie de frontière aux confins de la Normandie et du Maine à la charnière de l'an Mil, Flers, Le Pays bas-normand, 1992-1993, 2 vol., t. 2, p. 64-65.

Dissertation critique

L'acte est un faux de la fin du XIe siècle, rédigé par les moines de Marmoutier afin d'établir un privilège d'exemption. A pu s'appuyer sur un document exact, contemporain de la fondation vers 1020-1030.

Texte établi d'après a

Quia fides sine operibus mortua est, summa ope niti decet omnes xpistianos quatinus cum fide quam habent bonis operibus non careant. Hoc est enim quod scriptum est : Quiescite agere perverse, discite bene facere. Sed quia raro invenitur ut qui sæcularibus divitiis occupati sunt salvari possint, debent ex eorum opulencia sustentari qui nocte et die Deo in æcclesiis serviunt. Quod ego, Guillelmus de Belismo, verum esse considerans reminiscensque mearum iniquitatum fluctus et scelera, cogitare cæpi quomodo pænas evaderem et peccatorum meorum remissionem promereri possem. Placuit ergo mihi Romam ire, beatum Petrum suppliciter deprecari quatinus, quod ego non poteram, ipse erga Deum mihi veniam impetraret. Quo deveniens confessus sum peccata mea beatæ memoriæ papæ Leoni, qui tunc temporis Romanam æcclesiam sancte et religiose regebat ; ille vero mihi compaciens intuitusque corporis mei delicationem et meam generositatem, cognovit quia magnam abstinentiam facere requirem ; sed, ne tristis sine pænitentia ab eo discederem, injunxit mihi ut in pænitentiam æcclesiam quandam construerem, soli Romanæ æcclesiæ subjectam, jurisque mei rebus opulentissime ditarem, quod ego gratanter accepi. Rediens autem Roma, oportunum tempus quo id peragere possem expectabam. Tandem,

misericordia Dei inspirante, contigit ut corpus sancti LEONARDI cum plurimis aliorum sanctorum reliquiis de alio loco in castellum meum Belisum asportarem ; quo facto valde gavisus, æcclesiam ædificare cæpi in honorem beatæ MARIAE semper virginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, proprie autem in honorem beatissimi Leonardi, cujus corpus in eadem æcclesia honorificentissime collocavimus ; qua constructa, volui eam ab omni episcopali et laicali consuetudine esse liberam et solutam, quatinus nulli potestati subjaceret. Quapropter tempore quo supradictam æcclesiam dedicari ex more volui, dominum meum Franciæ regem adii Rotbertum eumque ut ad eandem dedicationem veniret suppliciter exoravi, qui, petitioni meæ libenter annuens, devotus advenit adduxitque secum comitem Odonem et Senonensem archiepiscopum necnon et Carnotanus pontificem, beatæ memoriæ domnum Fulbertum, cum multis aliis episcopis et comitibus, quorum nomina propter prolixitatem tacuimus. Addidi etiam ad eandem dedicationem invitare gloriosum Normannorum comitem Rikardum et Rotomagensem archiepiscopum Rikardumque Sagiensem episcopum, ad cujus diocesim locus ipse pertinebat, et Fulchonem, comitem Andegavorum, [cum] episcopo Huberto, cum quibus etiam advenit metropolitanus Turonicæ sedis archiepiscopus, Arnulfus ; adfuit cum his Herbertus, Cænomannensis comes, cognomento vocatus Evigila Canem, et cum eo, Avisgaudus, ejusdem civitatis episcopus. Hi omnes devote et religiose, sicut orthodoxis et catholicis xpistianis moris est, supradictam æcclesiam dedicaverunt. Quo peracto domnus meus rex Franciæ et comes Normannorum, Richardus, et Richardus, Sagiensis episcopus, cum cæteris omnibus episcopis et baronibus supramemoratis, fecerunt eam solutam et quietam ab omni subjectione, secundum id quod me velle noverant ; sic enim mihi concesserat apostolicus Leo, cujus imperio sepe dictam æcclesiam ædificaveram. Istam liberationem et solutionem auctorizaverunt et confirmaverunt rex et pontifices omnes suprascripti et comites cum omni clero et populo qui cum illis erat ut stabilis et firma in perpetuum permaneret, et si quis in posterum archiepiscopus, sive episcopus, ipsam æcclesiam quocumque modo inquietare presumeret, ex apostolica auctoritate et omnium qui aderant anathematis vinculo sine recuperatione teneretur. Cujus auctoramenti summam sic diffinierunt ut crisma et oleum et ordines et omnia necessaria ipsa æcclesia requireret a quocumque episcopo vellet, ita dumtaxat si episcopus Sagiensis gratiam et communionem apostolicæ sedis non haberet, et si hæc gratis et sine pravitate exhibere nollet, et si canonibus contrarius esset, et ut eam in eaque Deo servientes nullo modo distringere, interdicerere aut excommunicare posset, ad sinodum autem ire aut ad aliquem talem conventum cogere eos non valeret +++. Signum Rotberti, regis FRANCORUM \$\$\$. Signum Richardi comitis \$\$\$. Signum Rodulfi, Rothomagensis archiepiscopi \$\$\$. Signum Richardi, Sagiensis episcopi \$\$\$. Signum Arnulfi, Turonensis archiepiscopi \$\$\$. Signum Odonis comitis \$\$\$. Signum beatæ memoriæ domni Fulberti, Carnotensis episcopi \$ \$\$. Signum Fulchonis, Andegavorum comitis \$\$\$. Signum Huberti, Andegavensis episcopi \$\$\$. Signum Herberti, Cenomannensis comitis \$\$\$. Signum Avisgaudi, Cenomannensis episcopi \$\$\$. Signum Gilduini, Senonensis archiepiscopi \$\$\$. Contigit olim cartæ istius per incursionem Normannorum et per incuriam male observantium sigillum deperisse sed tamen litteras inviolatas remansisse. Ne igitur tanta auctoritas remaneret [sine sigillo], Rotbertus, dominus de Belismo, adiit regem Philippum qui tertius ab ipso Rotberto eo tempore regebat inperium et petiit ab eo ut cartam istam, quam suus avus auctoravit, auctorizaret et sigillum ejus, quod comminutum erat, suo sigillo restauraret. Placuit igitur hoc Philippo regi, qui et cartam istam auctorizavit et sigillo suo sigillare precepit.